ILLVSTRISSIMO, AC GENEROSISSIMO PRINCIPI DOMINO D. LEONORI D'ORLEANS, A LONGA-VILLA, DVCI FRONSACI. ET CÆT.

DIONYSIVS LE SOVBZ cliens humillimus. S.

*SOLEMNE de rebus medicis certamen nec ante condictum diem ambitiosè ac præcipitanter appetij, nec audito classico timidè ac ignauiter refugi: sed feci comprimùm licuit ac decuit vt libenti animo capesserem. Euentus qualis futurus sit θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. At certè in aggrediendo non committam vt id vicio mihi verti possit, quod cuidam olim Lacedemonio vertisse memorantur Ephori. Ille, quod re benè gestâ redijsset è prælio victor laudatus est, quod nullo instructus clypeo temerè in medios se hostium globos proiecisset, id verò mulctâ etiam irrogatâ reprehensum fuit. Clypeum mihi esse velim, Princeps Illustrissime, non aut Agamemnonis illum, cui insculptus erat fremens leo cum hac inscriptione φόβος ἀνδρῶν: aut illum Achillis, de quo tam obstinatis animis Græci Principes contenderunt, aut alium denique id genus ex veterum armamentario depromptum Vulcaníque officinâ: sed à te supplex per illam obseruantiam quâ regiæ tuæ familiæ addicti sumus, Princeps Illustrissime, precor obterstórque, vt clypeum mihi in hâc litterariâ pugnâ esse sinas nominis splendorem tui, quod origine ipsâ, & maiorum virtute illustrissimum: tuâ etiam indole ad heroicas laudes primùm nunc assurgente reddis illustrius. Omitto res maiorum tuorum præclarè gestas magno regis regníque cõmodo, quæ tã angustæ chartulæ spacio comprehendi non possunt: illud verò omitti nefas quod indolis tuæ amore admirationéque Henricus Magnus, paulò antequam migraret ad superos Marchionatum Fronsaci Ducatum esse voluerit, & sui de tuâ virtute iudicij hoc extare monumentum. Et nunc seruat honos nomen tuus. Clypeum igitur hunc à te supplex peto, Princeps Illustrissime, quem si impetro, sanctè iuro, voueóque, ῥιψάσπις haudquaquam futurus sum, sed mihi dictum putabo Lacænæ illud ἢ ταν ἢ ἐπὶ τᾶς, vale gentis Aurelianensis decus, & diu viue.*

# AD CARDINALITIAM

513

## QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE ~~MARTIS~~ Mercurii XVII. IVNII, MAGISTRO Francisco Placet Doctore Medico, moderatore.

*Vtrum mors vnquam in declinatione morbi?*

SVPREMA lex rerum oriri ac interire; inde fixi statíque sunt ortus interitúsque termini, quos natura nunquam prætergreditur, plærúmque non assequitur; vitam caloris & humoris proportio producit ac dimetitur, eam ætatum disparia spatia, ex eorundem ingenitis ac ratis partibus æquiùs quàm ex ascititijs humoribus dispescenda discriminant, per naturalem necessitatis cursum, viâ alioquin continuatâ ac æquabili decurrendum, nisi morbi violentior incursio nunquam non citaret, sæpius præcipitaret. Morbus διάθεσις præter naturam actionem primò & per se lædens, solísque partibus insidens, temporum vicissitudine pariter immutatur, ex caussarum morbificarum motionibus, quas intus caloris eas agitantis ὄργια multiplices efficit, & foras coctionis gradibus discernendas profert.

HINC morborum κατάστασις coctionis leuiora rudimenta præbent initium, cui succedit ἐπίδοσις certiùs eiusdem manifestioribus indicijs quàm exacerbatione symptomatũ dignoscenda: sequitur ἀκμὴ in quâ simul vt illa apertiora, sic hæc vehementiora; consequitur παρακμὴ omnium remissio. Solus autem in morbum decertat calor non igneus non febrilis, qui vbicúmque validior materiæ morbidæ domat contumaciam, eámque cum copiâ, tum qualitate molestam confestim extrudit, efferæ insolentiam reprimit, sed plærumque non sine manus medici auspicijs, quibus & impendentibus morbis aditum præcludit & factorum in initijs confutat impetum. In eum (à quo præcipua ἔνδειξις) medicus defigit continuò oculos, nunquam deflectit; adeo, vt in vigore fomentum offerre valenti cauet, sic languenti quolibet tempore non temere suggerit. Quid, nonne in vulneribus capitis primis diebus febris exurgens, salutem pollicetur? quæ post septimum mortem minitatur; sic quæ crisim præcedit perturbatio, assidentibus est terrori, medico solatio.

VOX quippe speratam tranquillitatem affert morbi inclinatio, caloris victoriâ: hinc fugit ardoris acrimonia, tumida quæ prius facies, detumescit; somnus placidior obrepit, spiratio facilior, appetentia maior; hinc cui priùs ingrati fuerant cibi, cum ijs in gratiam reditus, bonum; distributio plenior, hinc crassiores vrinæ, duriora excrementa; denique melior nutritio. Horum si aliquid affulserit, non statim fidendum, suspectáque omnis inopina tranquillitas; vt neque omnia formidanda mala quæ præter rationem eueniunt: Nempe iudicium non iudicans longè periculosum, aut mortem instantem (quæ caloris est extinctio) aut ὑποστροφὴ eundem cum priori morbum, sed deteriorem intentans: & παλίμβολος qui partes exteriores exercuerat, tumoris (in anginâ & in magnis vulneribus salutaris) dolorísque sedatio repentina, ac sæpe qui particularis accessionis vigorem euasit, in declinatione morte rapitur, paulóque ante eam pulsus robustior.

VINCERE vtríque non licet, cedit fortiori debilior in statu; vbi calor cum morbo signis collatis manus conserit, ille si superior morbi copias fugat, verámque crisim molitur, siue κατ' ἔκκρισιν siue κατ' ἀπόθεσιν, tutior illa, hæc minùs: primam assiduò meditatur; at eius aciem materia durior sæpe vel obtundit, vel eius vis in conatu elanguescens interturbatur, & à priore inchoatâ ad alteram descendere compellitur: vtráque bona, si copiosa, mediocris tamen, suis præmonstrata indicijs, fixo tempore, viámque per inferiora affectans (quanquam nec affectus nec humor consentire videantur) aut quaquauersum erumpens, contigerit: bona iterum si à nobilibus ad ignobiles, ab internis ad externas processerit. Paulò inferior altiùs inhærentem materiam νύσ, quod ille magno conatu ex-templò excutit, temporis progressione per vices amolitur: infirmior verò, aut in ipso frangitur conamine, aut cõsurgere non ausus nec potens, antè diem opprimitur.

SVSPENSVM, quandiu suspensa tenetur materia, fit iudicium: at vbi firmata, certiores, vt longorum quàm acutorum, ad salutem quàm mortem (quorum ex vrinis quàm pulsibus clariora eliciuntur argumenta) prædictiones. In constantibus temporibus suámque tempestiuitatem seruantibus certi ac iudicatu faciles morbi; in inconstantibus incerti malíque iudicij, sic febres quæ non per certos circuitus redeũt ordinatis deteriores. Anceps verò certamen quod cum pertinaciore certatur affectu: huic quia inutile lene medicamentum, vehementius exasperat, mediocre conuenit; ab eo soli naturæ cura committenda; quam multùm promoueat aëris locíque mutatio, quæ si nihil profecerit ætas perficiet, aliàs desperata curatio. Ceterum magna est in morbis status auctoritas, idcirco sedulò conijciendũ est, an æger perstet ad morbi vsque vigorem; nam si perseuerauerit, spes aliqua, si trãsegerit, integra securitas; quippe vbi natura superior, morbúsque nihil possidet, vita valet.

*Ergo mors nunquam in declinatione morbi.*



Asserebat DIONYSIVS LE SOVBZ, Parisinus, A. R. S. M. DC. XV.